



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

Paragraphvs II. De iuribus parochialibus, & in specie de jure funerandi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



Episcopo tanquam capite, & à Capitulo tanquam reliquo corpore, sublato vel impedito capite lex fingat id, quod non facit natura, ut scilicet reliquum corpus, etiam sine capite, ex quodam jure accrescendi, vel non decrescendi, exceptis iis, quæ sunt Ordinis Pontificalis omnes alias faciat operationes, ipsumque corpus representet.

*Questio 448. Qua, & respectu quorum sit præcedentia parochi?*

1. **R**espondeo primò: parochus in propria Ecclesia præcedit omnes, etiam in majore dignitate Ecclesiastica constitutos. C. de Luca de regular. d. 65. n. 11. & d. 16. n. 3. Barbof. de off. paroch. c. 9. n. 3. Gonz. ad reg. 8. Cancell. gl. 6. n. 6. Zipa. in analitica juris Eccles. enarrat. l. 1. tit. de majorit. & obed. n. 8. Cassan. in catalog. gloria mundi. p. 4. consil. 22. n. 81. quilibet enim in officio proprio præferitur omnibus aliis, licet extra illud iisdem aliis postponeretur. Unde etiam Rector Ecclesiæ parochialis tanquam caput Ecclesiæ thurificandus est ante Dominum loci. S. Cong. rituum in Turrinana 7. Aug. 1610. apud Barbof. loc. cit. Et in specie etiam Canonicos cathedrales, nimirum ubi interveniunt jure privato & singulariter. Non tamen præcedit Canonicos cathedrales, ubi illi Capitulariter, seu ipsum corpus cathedralis Capituli representantes interveniunt in parochialibus Ecclesiis. C. de Luc. ll. cit. Multò magis extra parochialem Ecclesiam v.g. in processionibus & funeralibus parochus non solum Archidiacono & Archipresbytero, sed & ceteris Canonicis cathedralibus capitulariter incidentibus, seu Capitulo & clero Ecclesiæ cathedralis digniorem locum relinquere debet, licet ad parochum Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliendus, spectet facere officium. Quin & parochus defuncti, vel Ecclesiæ, ad quam defuncti corpus defertur, digniorem locum obtinere debeat, & præcedere alios quoscunque presbyteros. Barbof. loc. cit. n. 6. & 7. testans, sic declarasse S. Cong. rituum, quam declarationem verbotenus recitat, & ostensam sibi esse authenticam ait.

2. Secundò parochum, etiam in associandis funeribus propria ipsius parochiæ, & in genere Rectores omnes curatos, plebanos ac presbyteros parochialium in publicis processionibus, functionibus etiam synodalibus, digniorem locum cedere debere Canonicis, etiã collegiarum Ecclesiarum censuit S. Cong. rituum variis declarat. apud Barbof. loc. cit. n. 9. quas decisiones juri consonas ait num. 10. non secus ac capitula tam collegiarum quam cathedralium Ecclesiarum semper & ubique præcedere debent Ecclesiis inferioribus, etiam si dicta Ecclesiæ capitulares post parochiales erecta sint, & etiam si in earum erectione inserta esset clausula: sine præjudicio alicujus. Barbof. cit. n. 10. citans Seraph. decis. 1445. in una Nivdensi præmiment. 26. Jan. 1602. Unde etiam eo ipso, quòd parochialis erigatur in collegiatam, præcedit alias parochiales. Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 14. nu. 67. C. de Luca. de paroch. d. 36. n. 7. Quin & Ecclesiæ filialis, quæ prius præcedebatur à matrice, si erigatur in collegiatam, præcedit ipsam matricem; quia nimirum mutato statu mutatur jus antiquum. Rota decis. 313. n. 6. p. 2. recentiss. apud Barbof. loc. cit. Neque his obstant alia declarationes S. Cong. rituum, quas quoque refert Barbof. n. 8. & quibus concordare videtur rituale Romanum rit. de Exequiis, ubi, quod parochus in omnibus funeribus

præcedit, incedendo ante feretrum. Vel enim voluit, quòd parochus ratione officii debeat præcedere inter pares, non autem quando est inter majores, aut prærogativam habentes, qualis sunt Canonici collegiarum. Vel de præcedentia quando famus defertur ad Ecclesiam ejus, qui stolam defert (quamvis ratio præcisè stolæ non habeat præcedentiam, cum hæc non de jurisdictionem vel prærogativam, sed tantum sit signum sacerdotale) seu dum ab eo fit officium in sua Ecclesia, in qua præcedentiam habet.

3. Tertio præcedentia inter ipsosmet parochos seu curatos Ecclesiarum parochialium, siue sint seculares siue regulares, datur secundum prærogativam ipsarum Ecclesiarum, & non secundum prærogativam regulæ. Barbof. cit. c. 19. num. 12. Ita tamen, ut parochus ad cujus Ecclesiam defunctus sepeliendus defertur, præcedat parochum alterum, ad cujus parochiam spectabat defunctus juxta praxin Romæ servari solitam. Barbof. n. 13. vel etiam ut ambo isti parochi, etiam, dum alteruter est regularis induti superpellicio & stolâ pares ingrediuntur juxta dispositionem Ecclesiæ Mediolanens. p. 2. actorum. tit. de funere duc.

4. Quarto parochi Rectores & clerici seculares præcedere debent regulares tam Monachos, quam fratres quorumcunque ordinum, etiam mendicantium in funerum associatione, processionibus, & aliis istiusmodi actibus publicis, nec debent Monachi aut fratres cum parochis vel clericis mixtim incedere, etsi contrarium quandoque fiat ex secularium indulgentiã aut humanitate. Barb. num. 14. juxta declarat. Clem. VIII. decet Romanum Pontificem. 20. Febr. 1601.

## PARAGRAPHVS II.

### De juribus parochialibus, & in specie de jure funerandi.

*Questio 449. In quibus consistat jus parochiale in genere, qualem assistentiam jura habeat, qualiter immutetur, vel etiam amittatur?*

1. **R**espondeo ad primum: Jus parochiale consistit in pluribus: nimirum in obligatione parochianorum recipiendi in Ecclesia parochiali Sacramentum Eucharistiæ in paschate, aliisque Sacramenta conferenda moribundis, puta Eucharistiã pro viatico, & extremam Unctionem; in jure funerandi & sepultura, in jure percipiendi oblationes & decimandi. de Luca de par. d. 31. n. 8.

2. Respondeo ad secundum: super jure parochiali percipiendi assistentiam juris habent parochi intra parochiarum suarum limites. Abb. in c. dilecti. de offic. Ord. n. 4. Rota decis. 256. num. 1. p. 1. recent. apud Barb. juris Eccl. l. 1. c. 20. n. 41. Proindeque ex sola juris assistentiã, nullã etiam concurrente possessionis probatione manurentia iis esset concedenda, Rota in Taurian. decimarum ult. April. 1604. coram Seraph. inter ejus impressas 1497. apud Barb. loc. cit. quoniam hæc juris assistentia in judicio retinenda summarissimo sola sufficeret, si versaremur in jurisdictionalibus; in quibus terminis loquuntur decision. Rota 273. n. 1. 382. num. 1.



901. n. 1. p. 2. recent. sed in aliis causis non jurisdictionalibus nunquam Rota consuevit ex sola juris assensu manutentionem impertiri; ut constat ex pluribus ejusdem decision. apud Barb. loc. cit. n. 42.

3. Respondeo ad tertium: jus parochi non immutatur seu perditur per causativam seu accidentalem mutationem domicilii absque animo deserendi primum, & acquirendi secundum; uti nec facit cessare jurisdictionem proprii parochi; neque eam inducit in eo, intra cujus parochia limites hujusmodi accidentale seu causativum domicilium habetur. C. Luca de paroch. d. 23. n. 9. Barb. de paroch. d. 25. n. 26. juxta c. de iis. de sepult. in 6. testatur etiam ibid. Barb. stante in Urbe statuto Cleri sic expresse statuite, saltem bimestre habitationem requiri in nova parochia, ut jus parochiale acquiratur. De cetero prescindendo à simili statuto, quamvis parochialitas & jus parochiale non acquiratur ex sola seu simplice habitatione, hoc est, absque animo aliquo modo declarato perpetuo ibi habitandi (cum vel sic semper presumatur habitatio ad tempus, & cum animo redeundi ad pristinum domicilium, in quo conservatur jus parochia. Abb. in c. in nostris. de sepult. Sanch. de matrim. l. 3. d. 23. n. 1.) ubi tamen quis animum hujusmodi declaravit, statim efficitur parochianus parochia hujus habitationis, non expectato, quod ibi habitet pro majori, vel etiam pro aliqua certa anni parte. Lott. l. 1. q. 20. n. 43. & seq. citans Cardin. in Clem. 1. de privil. n. 8. Gurtier. de matrim. c. 63. n. 13. Sanch. ubi ante n. 14.

4. Respondeo ad quartum: Ecclesia parochialis habitu tantum talis, non amittit sua jura & privilegia; unde etsi cesset exercitium parochialitatis, non tamen cessant ejus jura, sed semper conservantur cum illius pristino statu, licet Ecclesia facta jam sit beneficium simplex; unde hodieum in nonnullis beneficiis simplicibus, quae ante fuerunt Ecclesiae parochiales, eorum Rectores habent jus decimandi. Vide Corrad. l. 3. c. 5. n. 13. & Lott. l. 1. q. 20. n. 157.

Quaestio 450. Ad quem spectent ea jura parochiae, & respectu quorum dentur?

1. Respondeo ad primum primo: ubi parochia annexa est Capitulo seu alteri corpori universalis, vel etiam dignitati, de jure communi (nil enim vetat ex speciali conventionione Rectorem inter & Vicarium ei assignare certam aliquam partem seu emolumentorum partem, quae conventio etiam servanda, etsi tractu temporis unius alteriusve partis evadat lapsiva seu praesudicialis, quoties laesio non reducitur ad iniquitatem. C. Luca de par. d. 11. & dictum supra) omnia jura & emolumenta parochialia spectant ad eum, cui cura habitualis competit, cum ille verè dicatur parochus seu Rector, Vicarius autem seu alio nomine nuncupatus ad solam curam actualem, seu ejus exercitium deputatus, jure operarii censendus, contentus esse debet congrua, tanquam salario seu mercede operis. C. Luca de paroch. d. 22. num. 7. juxta plures Rotae decisiones apud eundem ibid.

2. Secundo: dum adest Ecclesia filialis impropria; id est, adjunctrix, seu pars & membrum parochialis pro commodiore curae exercitio ad praescripta Trid. sess. 21. c. 4. erecta, jus parochiale in solidum est penes Ecclesiam matricem, quae unica dicitur Ecclesia parochialis: Et adjunctricis Ecclesiae Vicarius, qui censetur jure quasi famuli, con-

tentus esse debet congrua tanquam mercede laboris: cujus tamen vice non incongrue aliqua emolumentorum parochialium pars (cum familiarum aliquarum distributione ei assignatur. C. de Luca, de paroch. d. 33. n. 6. & d. 27. n. 9.

3. Tertio: fieri etiam potest, ut jus parochiale v. g. decimandi, funerandi, percipiendique emolumenta cetera, non secus ac jus cura, utpote naturam individuum, resideat in solidum penes plures representantes unam personam formalem seu intellectualem (ita ut quamvis tunc singuli non dicantur Rectores actu, dicantur tamen habitu, & in ipsis tanquam in uno corpore conservatur unitas dum nimirum cura apud unum habuit originem, & dein devenit in plures, de quo vide Lott. loc. cit. n. 115. & 145. & seq. Butrio, Decium, & AA. communiter in c. prudentiam, de off. deleg.) non secus ac feudum individuum, cujus possessio ac fructus potest esse apud plures agnatos coaequali jure possidentes, tanquam representantes unam personam formalem individuum. C. de Luca de paroch. d. 33. num. 8.

4. Respondeo ad secundum: dari hoc jus parochorum respectu viventium intra parochiae fines; quemadmodum autem ex indulto Pontificis, vel antiqua legitima consuetudine jurisdictionis parochialis dari potest in personas seu familias, quamvis in alieno territorio viventes; uti contingit in parochiis distinctis per familias, quamvis sparsim & promiscue habitantes, de quibus supra; ita etiam dari respectu habitantium extra territorium parochiae possunt dicta jura. C. de Luca de par. d. 24. num. 3.

Quaestio 451. Quale jus habeat parochus circa funera?

Respondeo: hoc jus consistere ferè in jure ipso sepeliendi, in jure deducendi funus, faciendique officium, & jure percipiendi emolumenta, seu quartam parochialem, sive portionem Canoniam. C. de Luca de reg. d. 1. n. 46.

Quaestio 452. Quale sit hoc jus sepeliendi?

1. Respondeo: parochus parochianos suos omnes, quibus sepultura sacra conceditur, sepelire debet in Ecclesia, vel cimiterio parochiali. Barb. de off. par. c. 26. n. 1. Laym. th. mor. l. 3. tr. 6. c. 12. cum communi juxta c. is qui, de sepult. in 6. sicut enim Sacramenta & verbi Dei praedicationem, ita & sepultura officium fidelibus praestare, ad eorum pastores pertinet. Laym. ibid. n. 3. Item omnes alios (puta scholares, similesque personas quasi domicilium habentes. Abb. in c. 1. de sepult. n. 4. Laym. n. 8. & peregrinos, ubi hi ad propriam parochiam deferri non possunt, vel nisi aliud habeat consuetudo. Laym. ibid. ex Sylv. & Molin.) intra parochiam degentes, & decedentes, sive cum, sive absque testamento. Barb. loc. cit. n. 1. Estque hoc jus parochiale. Clem. dudum. de sepult. Abb. in rub. de paroch. num. 2. Riccius in pr. p. 4. resol. 292. apud Bart. loc. cit. ita etiam ut parochus praefertur, & ante omnia sit restituendus, si fuerit spoliatus corpore jam sepulto; cum illud possit extrahi auctoritate superioris tanquam non justa sepultura traditum, & restitui ei, qui jus praedicationis habet juxta Gratian. discip. for. to. 2. c. 198. n. 5. ex Cassan. in Casal. gloria mundi. p. 2. confid. 5. apud Barb. loc. cit.

2. Ex-



2. Excipe primò: nisi ipsi parochiani, distique alii alibi sepulturam elegerint. Barb. *ibid.* juxta *c. is qui. & clem. dudum*; uti possunt liberè eligere sepeliri alibi omnes puberes, etiam filii familias absque patris consensu juxta *c. 1. de sep. & c. licet. tit. eod. in 6.* Et pater, aut hoc deficiente, etiam mater filio impuberi. Armill. *v. sepultu. Sa & c.* apud Laym. *n. 5.* Molin. *de Just. tr. 2. d. 214.* & fuse Bass. *in flor. Theol. to. 2. v. sepult. n. 7. & seq.* & utrumque quidem non de jure & ratione patriæ potestatis (cùm jus determinet cuique sepulturam, nimirum in sepulchro majorum, aut in parochiali, concedens insuper potestatem eligendi ius, qui capaces sunt electionis, & non substituens ratione incapacitatis alios, cum concessio hæc sit personalis) sed ratione consuetudinis, ubi ea est Bass. *cit. n. 7.* juxta declarationem, ut ait, Bonif. VIII. in *c. licet. de sepult. in 6.* Item patre & matre deficientibus, affines & consanguinei; quin & tutor pupillo impuberi; hi enim omnes succedunt patri in cura impuberum; estque tutor loco patris, & transit in jus patris in ordine ad curam pupilli; talis autem successio in cura impuberum dat ipsis jus ad exercenda ea, quæ spectant ad ipsorum curam; & hinc jam etiam transit ad eos jus, quod convenit patri ratione consuetudinis in eligenda sepultura pro impubere filio. Bass. *loc. cit. n. 9.* citans Gl. in *c. licet. de sep. in 6.* Franc. *ibid. n. 3.* Gratian. *de sep. for. to. 1. c. 94.* contra Belletum, *p. 1. disquisit. cler. 5. 3. de clerico debitore. n. 18.* Dian. *p. 5. tr. 3. resol. 108. & c.* Idque in omni Ecclesia, & non nisi in Ecclesia, quæ jus sepeliendi habet, hoc de jure ordinario, ut sunt Ecclesiæ, quæ populum habent, seu parochiales. Abb. in *c. certificari. de sep. n. 8.* Laym. *loc. cit. n. 3.* five de privilegio, ut Ecclesiæ Collegiata, & regulares, aliæque non parochiales. AA. *iidem.* Quale privilegium etiam ab Episcopo cum consensu Capituli ex causa concedi posse Ecclesiæ non parochiali affirmat Laym. ex Abb. *loc. cit. n. 9.* & Molin. *d. 214.* ubi etiam juxta *c. 3. de patris in 6.* ait, tali privilegio renunciare posse pacifice cum Episcopo vel paroco de non sepeliendis parochianis, prælatum immediatum regularem, puta Priorem, Guardianum & c. cum Capitulo, absque eo, quòd opus sit adhibere consensum Generalis vel Provincialis Ordinis. Porro qualiter probeatur Electio sepulturæ, vide apud Barb. in *c. cum super. de sepult. Dian. p. 5. tr. 3. resol. 106.* Bass. *loc. cit. num. 11.*

3. Excipe secundò: nisi alibi extra parochiam habeant sepulchrum, in quo eorum majores sepeliri consueverint; in hoc enim, si commodè possint, sepeliri debent decedentes, nullâ factâ electione sepultura. Laym. *n. 8.* citans Abb. in *c. 1. de sepult. Sylv. q. 8.* Per. de Perusio *tr. de Can. port. & c.* Bass. *loc. cit. n. 10.* Ecclesia enim, in qua est sepulchrum majorum juxta *c. 1. de sep.* acquirit jam jus ad sepulturam, quoties quis alibi illam non elegit, adeoque non potest privari per novam electionem sepulturæ in parochiali factam per eos, ad quos spectat cura funeris. Bass. *ibid.* citans Jo. And. & Gem. in *c. licet. de sep. in 6.* Sylv. *v. sepultura. q. 8.* Ita etiam, ut si pater præter voluntatem suam alibi sepultus, filius adhuc in sepulchro Avorum & ascendentium sepeliendus sit; quia tunc sepulchrum illud patris esset adventitium, nec transiret ad familiam, aliàs apud patrem, dum is elegit diversum à majoribus sepulchrum, quia tunc sepulchrum illud sit familiæ, & omnes de familia acquirunt jus

ad illud; sepulturaque inter mortuòs comparatur domicilio inter vivos; filias autem sequitur domicilium parentum, & non aliorum ascendentium, juxta *l. assumptio. ff. ad mancip. & c. fraternitatem. de sep. Bass. cit. n. 10.* Abb. & Molin. apud Laym. *cit. n. 8.* Etiam naturalis, nisi pater in dignitate constitutus fuerit; spurius autem apud matrem, nisi ea sit illustris. Sylv. *cit. q. 8.* Sa *v. sepultura.* cum communi apud Laym. Uxor, nisi aliud habeat consuetudo, apud maritum; si plures maritos habuit, apud ultimum, cuius domicilium retinet & honorem. Abb. Sylv. Laym. *ll. cit.* Bass. *loc. cit. n. 14.* Quin & uxor præmorta, si maritus habet proprium sepulchrum, quamvis extra limites parochiæ, in qua mortua est, tumulari debet. Congreg. rituum in *Senogaltriens. 15. Januar. 1633.* apud Barb. *de offic. paroch. c. 26. n. 28.* Sed hæc intelligenda, ubi uxor sibi sepulturam non elegerit alibi; quod potest de jure communi juxta *c. de uxore. de sep.* quia, ut ait hic textus, electio sepulturæ pertinet ad eum statum, in quo uxor solvitur à lege viri. Bass. *ibid.*

4. Excipe tertio: Novitios Religionis, quia etiam decedentes extra monasterium v. g. in domo paterna, sepeliri debent in monasterio; cum Novitii gaudeant privilegio & juribus Ordinis. Laym. *cit. n. 8.* & apud illù Rodriq. *qq. reg. to. 1. q. 39. a. 4.*

5. Excipe quarto: famulos domesticos religionum mendicantium, qui dum decedunt intra septa monasterii, Collegii, residentiæ, sepeliri possunt, etiam invito paroco, ex privilegio Papæ in in dictorum religionum Ecclesiis vel cæmeteriis. Laym. *loc. cit.* Rodriq. *to. 2. q. 67. a. 2.* & videre est in *compendio privileg. Societ. v. familia. §. 1.* Secus tamen est de iis, qui formaliter servientes & ministri non sunt dictorum regularium, dum intra septa monasterii, ubi v. g. hospitalitatis gratiâ, seu aliàs accidentaliter debebant, moriuntur. C. de Luca, *de Reg. d. 1. n. 50.*

6. Excipe quinto: infirmos receptos & morientes sine electione sepulturæ in hospitali, etiam recto per regulares; his enim præbere possunt dicti regulares, alique hospitalis Rectores in annexâ hospitali Ecclesiâ sepulturam ex indultis Apostolicis, sicut ipsimet religiosi tales, aut constitutus alius Rector secularis dicuntur itorum infirmorum parochi, & viventibus omnia Sacramenta ministrare possunt. C. de Luca, *ibid. n. 51.*

7. Excipe sexto: Tertiarios, qui invito etiam & inrequisito paroco, sepeliri possunt in Ecclesiis istorum ordinum, ubi qualitates habuerint in Bulla Leonis X. præscriptas; nimirum si viri, collegialiter aut claustraliter vixerint, mulieres verò virginalem, vel cœlibem, aut castitatem vidualem sub expresso voto, & tertiariarum habitu duxerint; sectis si istas qualitates non habuerint. Sic resolutum à S. Congreg. Trid. testatur Barb. *loc. cit. n. 69.* Porro de religiosis constat: An verò & qualiter ipsi eorum Prælati jus habeant eligendi sepulturam, vide apud Laym. *loc. cit.* & Bass. *loc. cit. num. 13.*

Quæstio 433. Quid sit circa jus interveniendi funeribus?

1. R Espondeo: paroco de jure communi competit jus interveniendi funeribus hinc inde coactivum, & ex necessitate reciproca sem activa & passivâ, quo scilicet ipse teneatur, quamvis invitatus, intervenire, & converso parochiani teneantur,



tur, quamvis inviti, eum vocare C. de Luca. *de par. d. 28. nu. 6.* juxta text. c. 1. & *clém. dudum. de sepul.* ubi communiter DD. quod ita verum, ut licet à defuncto iussi sunt advocari soli regulares ad sepeliendum cadaver, nullatenus parochus sit excludendus. Barb. *loc. cit. n. 62.* juxta declarationem Congreg. præpositæ negot. Episc. 1518. Item ut regulares, quamvis expressè privilegiati in hoc, ut à parochio impediri nequeant, nè in Ecclesiis suis sepulturam sæcularibus concedant, adhuc sine parochio funus peragere nequeant extra suas Ecclesias, ut ad illas cadaver ducatur; quia esset exercere jurisdictionem in territorio parochi, in quo illi jus nullum habent, utpote constructum ad territorium ipsorum proprium, quod consistit intra septa & ambitum Monasterii. C. de Luca *de reg. d. 1. n. 47.* sed neque in propria Ecclesia funus peragere possunt, ac sepulturam defunctis de Clero & populo sæculari tribuere sine interventu seu consensu parochi proprii defunctorum, etiam dum absque ditorum regularium interventu vel facto cadaver clam ad eorum Ecclesias delatum fuisset; cum ipsum jus funerandi dicatur parochiale ex jure privativo parochi, & privilegia concessa regularibus concernant solum remotionem illius obstatuli, seu prohibitionis, qua iis olim prohibitum, nè ulli sæcularium, quamvis id eligenti, dare sepulturam in eorum Ecclesiis possent. C. de Luca. *ibid. num. 48. & 49.* Quinimò nec id possint regulares respectu defunctorum intra sua septa sæcularium casu ibi hospitatorum, seu degentium, exceptis religiosis, qui ex instituto pauperum infirmorum hospitalitatem exercent respectu apud illos hospitantium infirmorum. Luc. *ibid. n. 50. & 51.* Licet regulares extra claustra decedentes possint ad eorum Ecclesias deferri parochis inconsultis, ut declaravit S. Congreg. Conc. sub die 2. Julii 1620. apud Peyrin. *to. 2. constit. sui ord. constit. 7. Pii V. n. 2.* & Barb. *loc. cit. n. 68.* ita etiam ut id regularibus prohiberi nequeat sub prætextu, quòd prius debeant jus sepulturae solvere, cum ab istiusmodi prætensionibus parochos abstinere debere mandarit S. Congreg. præpos. neg. Ep. sub 22. Maji. 1615. apud Barb. *ibid.* Non tamen possint iidem regulares, dum moritur intra claustra aliquis eorum superior aut magister, funus illius portare per civitatem, plateas, & alias parochias sine interventu parochi. Ita rescripsisse S. Congregationem Conc. Card. Ludovis. Archiepisc. Bonon. testatur Barb. *ibid. ex Lezana in summa qq. reg. c. 12. n. 41.*

2. Secundò: levare domo cadaverà irrequisito parochio non licet regularibus, neque aliis presbyteris sæcularibus, Barb. *loc. cit. n. 66.* citans S. Congregationem rituum in *Andriensi 29. Novemb. 1631.* Ugol. *de potest. Episc. c. 17. n. 3.* Grat. *to. 3. c. 492. n. 59.* sed neque regulares habentes privilegium sepeliendi apud se sæculares, qui apud eos sepeliri elegerunt, aut sepulchrum majorum ibi habent, cum cruce processionaliter intrare possunt parochiam aliam, & per se accipere funus, aliæque facere, contradicente Episcopo vel parochio. Barb. *loc. cit. num. 67.* citans Villalob. in *sum. p. 2. tr. 31. disc. 5. num. 3.* Grat. & C. Bassa. *to. 2. v. sepult. num. 6.* cum privilegium concessum regularibus sepeliendi sæculares, utpote contra jus tertii, nempe parochorum, ut Innoc. & alii ex *c. mandatum. de rescript. & c. super eo. de offic. deleg.* sit strictæ interpretationis; Pontificè que Clemens IV. Clemens

P. Lauren, Fori Benef. Tom. 1.

V. Sixtus IV. ut videre est apud Bassa: concedentes id privilegium, usi sint verbo *recipere*, adeoque solum receptionem funeris eis concessisse videantur. Fusc. *de visit. l. 1. c. 25. n. 8.* Trull. *so. 3. de jure parochi. c. 9. d. 1. n. 3.* contra Rodriq. *to. 3. q. 58. a. 3.* Hieron. Rodriq. in *comp. privileg. resol. 128. num. 3.* Ang. Sylv. apud Bassa. hanc dantes rationem: quia concessa est iis libera sepultura, consequenter iis concessum sit iter ad funus capiendum. Nec obstat privilegium à Sixto IV. expressè desuper datum regularibus, cum illud revocatum sit à Leone X. Bass. *loc. cit.* Et licet privilegia regularium revocata à Leone X. exceptis iis, quæ Tridentino contraria non sunt (quale est illud de adducendo funere) dicantur ab Adversariis restituta in foro exteriori per aliquos Pontifices; privilegia tamen *maris magni* quò ad hoc denuò revocata, & redacta ad terminos juris communis per Gregor. XIII. *Constit. in tantâ negotiorum. Anno 1575.* asserunt Auctores stantes pro nostra responsione apud Bassa. Quòd si tamen parochus monitus & requisitus à regularibus, & expectatus venire recuset, possunt ipsi cadaverà istiusmodi ab ædibus, ubi fuerint, recto tramite deferre parochio invito: sic decisum à Congreg. Conc. testatur Barb. *num. 70.* cum, ut etiam declaravit Congregatio rituum apud eundem *n. 71.* sepeliri mortui possint in Ecclesia, in qua sepulturam elegerunt sine presentia parochi, si ipse requisitus interessè recuset, vel peritam licentiam neget.

3. Tertio: ad parochum spectat tam in domo defuncti, quam per viam, donèc accedatur ad Ecclesiam regularem, in qua cadaver sepeliendum, & exequia peragenda, officium peragere; quamvis oporteat per aliarum parochiarum fines transire; dum ita dicitur continuatè jus suum jam inceptum in suo termino à quo usque ad terminum ad quem. C. de Luca *de reg. d. 1. num. 53.* Barb. *loc. cit. num. 74.* juxta declarationem S. Congregationis præpos. negor. Ep. Ac ita tenetur usque ad januam Ecclesie regularium, in qua sepeliendus defunctus, funerale ducere, & prosequi. Barb. *num. 75.* juxta eandem Congregationem. Sed neque, dum mortuus in hospitali elegit sepulturam in alia Ecclesia, ac propterea inde asportandum funus, possunt regulares, quorum est hospitale, se in hoc ingerere extra septa propriae domus regularis, sed tali casu subintrat parochus, nimirum proprius defuncti, sub cuius parochia hic vivebat, & non ille, intra cuius parochiam situm est hospitale, nisi forè ex privilegio & consuetudine, quæ improbabilis non est, maxime in magnis urbibus, ubi causeretur confusio, & incommodum, si vocandus semper esset proprius defuncti parochus. C. de Luca *loc. cit. n. 51.* Porro debent regulares vocati ad funus asfociandum accedere ad Ecclesiam parochialem, & exinde cum parochio ad domum, ex qua exportandum cadaver se conferre, ac si illud contingat depositum esse in Ecclesia aliqua, ad illam convenire debent. Barb. *nu. 65.* juxta declarationem S. Congregationis rituum 26. Aug. Anno 1616. & nequaquam expectare extra januam Ecclesie, multòque minus per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contrariâ consuetudine. Barb. *nu. 64.* juxta eandem Congregat. 12. Febr. 1633. Quamvis in hoc num sufficiat regulares invitatos reperiri in loco, in quo cadaver est, & ex inde tantum perrecturos, an verò debeant accedere ad Ecclesiam parochialem, vel matricem seu digniorem, ex qua dirigienda

Q

genda



genda processio ad accipiendum corpus in propria domo, deferendum esse consuetudini, utpote quæ in hujusmodi functionibus & ceremonialibus controversiis magnum locum habet, & consuetudine cessante servandum regularibus, quod jam dictum, utpote contra eos decisum, asserat C. de Luca *de reg. d. 1. n. 61.* citans Barbof. *de jure Eccl. l. 3. c. 10. n. 65.* Verùm in ingressu portæ, vel atrii Ecclesiæ regularis, aut alterius, in qua sepeliendus defunctus, parochus suum munus dimittit, illudque reassumit Prælatus istius domûs regularis vel alius regularis de ejus mandato. C. Luca *cit. n. 53.* Barb. *num. 80.* Vel alter Parochus secularis, si Ecclesiâ electa pro sepultura sit alia parochialis. Barb. *ibidem.*

4. Quartò: ad parochum spectat declarare, per quam viam exportandus defunctus. Barb. *n. 74.* juxta declarationem, ut ait, Congregationis præpos. negot. Ep. *de 3. Jan. 1594.* Item spectat ad parochum convocare sacerdotes alios, quos voluerit ad associandum funus, ubi hæredes defuncti aliter non disponunt, aut nullos destinârunt sacerdotes. juxta quod censuit Congregatio rituum 7. Sept. 1630. apud Barb. *n. 59.* de cetero servanda voluntas dictorum hæredum, qui possunt convocare numerum sacerdotum sibi bene visum, & numerum ceræ sibi bene visum ad associandum funus constituere, minùs magisque pompas culcitra, similiâque adornare, absque eò quòd parochus se opponere valeat, aut convocare alios, quàm destinatos ab hæredibus Clericos. Barb. *nu. 57. & 58.* Jo. Sanch. *in selectis DD. d. 47. n. 24.* apud eundem C. de Luca. *de paroch. d. 31. n. 4.* juxta decisionem Congregationis præpos. neg. Ep. apud eundem; item Congregat. rituum *in Laudensi 20. Aug. 1601.* jus enim parochiale, quod competit parochi privativè ad omnes in funeribus, versatur solùm circa præminentiam occupandi primum locum cum stola seu pluviali, nec non faciendi officium super cadavere, & percipiendi emolumenta: quatenus autem spectat ad eorundem funerum pro locorum consuetudine majorem pompam & solennitatem ab Ecclesiâ Catholica ritibus non aberrantem, neque à rituali reprobata, jus nullum habet; quia ubi desuper in jure provisum non est, pro partium libertate judicandum est. C. Luca *ibid. à n. 2.* Num autem secularis potestas facere possit desuper statura, vel alias ordinationes seu reformationes, distinguit idem Card. *nu. 5.* negatque si agatur de spiritualibus concernentibus suffragia animæ defuncti, vel conservationem devotionis populi; puta circa celebrationem missarum, convocationem majoris vel minoris numeri Clericorum tam secularium, quàm regularium, distributionem Eleemosynarum: concedit autem circa ea, quæ superfluum ac merè temporalem pompam respiciunt, ut sunt culcitra pomposa, vestes lugubres, castra doloris, cerei, præsertim extra Ecclesiâ.

5. Respondeo quintò: Crux propriæ parochiæ defuncti deferenda est in funeralibus, & non crux parochiæ, ex qua parochia defuncti dismembrata fuit. Barb. *n. 79.* juxta Congregat. rituum, de cetero in funeralibus crux tantùm una deferenda. C. de Luca *cit. d. 1. de reg. num. 63.* Barb. *num. 78.* & quidem illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur. Barb. *ibid.* juxta varias Congreg. rituum declarationes, sub quæ omnes funus associantes incidere debent præcedentibus eam confraterni-

tatibus (quæ non nisi specialiter & expressè vocata accedere possunt ad funeralia, & dum accedunt in actu associationis funeris, nullo modo erigere possunt crucem. Barb. *n. 61.* juxta declarationem Congreg. rituum) incedentibus autem immèdiatè post illam personis illius Ecclesiæ, ad quam corpus defertur, & dein ceteris secundum Anciãtatem ultimo loco incedente parochi cum superpellicio & stolâ. Barb. *cit. n. 78. & 56.* Quæ tamen intelligenda ubi non intervenit Capitulum Cathedralis, tunc enim sub cruce illius omnes incedunt, debetque pastor proprius cedere curato & sacristæ Cathedralis, etiam dum sunt amovibiles. Barb. *cit. n. 78.* juxta Congregationem rituum *in Pisanensi. 22. Martii. 1631.* Quin & crucem hanc in Ecclesiâ istâ, etiam regularium erectam retinere potest eodem modo, quo in via asportata, Capitulum Cathedralis interveniens. C. de Luca *num. 54.* ubi idem ait de Parochi, & Collegio Collegiatæ, & sic per modum decreti generalis decisum à Congregatione.

6. Sextò: ad parochum seu curatum, in cujus parochia defunctus obiit, & non ad regulares, ad quorum Ecclesiâ defunctus portatur, spectat benedicere corpus defuncti. Barb. *n. 67.* ex decisione Congregationis rituum *in una Squilacen. 18. Novemb. 1606.* solûsque parochus cum ad domum defuncti pervenitur, cum Clerico deferente vas aqua lustralis locum, in quo jacet defunctus, ingreditur, eumque aspergit. Barb. *n. 56.*

7. Septimò: Officium supra funus jam delatum in Ecclesiâ, in qua sepeliendum, facere spectat ad parochum, intra cujus parochiæ limites est Ecclesiâ dicta, & non ad sacerdotes talis Ecclesiæ. Barb. *n. 80.* ita ut verum id sit, etsi in ejus parochiali præsentibus sint Canonici. Barb. *ibid.* Congregatio rituum *in Ostiensi. 28. April. 1607.* dum tamen tumulatur cadaver in Ecclesiâ regularium, parochus ad easdem associatus, ut debet, corpus in iisdem permanere potest, absque tamen eo, quòd in officio cantando ullatenus se intromittat. Barb. *ibid.* Congregatio præpos. negot. Episc. *in Nevitanensi 6. Julii 1615.* officium enim in tumulandis cadaveribus in Ecclesiâ regularium non per parochum, nec per alios presbyteros seculares, sed per eosdem regulares fieri debet, non obstantibus quavis consuetudine, Congregatio rituum variis decisionibus apud Barb. *nu. 82.* etiam immemoriali allegatâ (de qua tamen an sufficiat, lætè Gratian. *discept. for. to. 3. c. 492.*) ut ibidem apud Barb. eadem Congregatio ad Card. S. Georg. 5. Jul. 1632. proinde officium defunctorum, psalmos, responsoria, aliâsve preces recitare super funera ad solos regulares spectat. Barb. *n. 81.* Congregatio præpos. negot. Episc. *in Turritan. 24. Nov. 1617.* ceremoniasque peragit Prælatus regularis, aut alius ex ejus commissione, C. de Luca *de regul. d. 1. num. 53.* Hoc etiam jus officii peragendique funus, etiam solenne principis alicujus, vel magnatis competere adhuc regularibus etiam, dum intervenit Capitulum Capitulum Cathedralis, non quidem repræsentando solùmmodò parochum ratione curæ, quæ fortè annexa est Cathedrali Ecclesiæ, sed tanquam constitutum à parochi majoris pompæ vel solennitatis gratiâ; aut etiam Episcopus loci Ordinarius cum suo Capitulo volens illud munus peragere, tamen S. Congregatio rituum aliquando decreverit, ut idem C. de Luca *n. 55. & 56.* ipse tamè ait, id sibi uò placere, & videti sibi



ibi parum probabile, citatque seipsum de paroch. disc. 25. & de jurisdictione d. 22. & 31.

8. Oportet: Parochi non habentius plus recipiendi pro tumulandis externis, quam civibus. Barb. loc. cit. num. 83. ex decis. S. Congregationis Conc. de 27. Maji. 1617. imò pauperes gratis sepelire debent. Barb. nu. 84. Jo. Sanch. select. DD. d. 47. num. 18. Cavendum verò vel maximè, ne propter jus sepulturæ minimè solum cadaver inhumatum retineatur, cum nulla ratio patiatur, repugnanteque Christianæ pietati, maximè verò ob pecuniarum interesse, cadaver insepultum manere. Neque etiam sub quovis prætextu compositionis quartæ funeralis mortuorum sepultura retardari aut impediri debet. Barb. num. 55. juxta decisionem Congreg. in Cassan. 5. Maji. 1617. De cetero, cum quod datur parochi, non sit sola merx laboris, sed emolumentum juris parochialis, in summa determinatâ, ubi non adest incommodum extraordinarium, præstandum est: quamvis quia parochus non tenetur hujusmodi functiones funerales facere de nocte, seu in forma pomposâ cum extraordinario & magno labore, oportebit hæredes defuncti cupientes majorem funeris pompam, majorem aliquam præstare recognitionem. Luca de paroch. d. 28. num. 7. Qualiter verò alii Clerici ejusdem Ecclesiæ parochialis, qui invitari quoque solent ad funera associanda, non tamen cogere possunt partes ad se invitandas, sicut nec invitati cogi possunt ad comparandum, quique nullam partem habent in cura animarum (sicut aliàs habent alii ejusdem Ecclesiæ clerici dicti hebdomadarii, quòd per vices hebdomadam exercent curam, adeoque representantes parochum) neque sint de corpore talis Collegii parochialis, qualiter inquam hi præterdere nequeant dicti augmenti participationem, etsi pariter majorem & ipsi laborem subeant, deducum vide ibidem à C. de Luca potissimum à num. 9.

Quæstio 454. Specialiter circa quartam parochialem seu portionem Canonica, quid & quanta ea sit?

1. Respondeo ad primum: est certa quantitas à jure Canonico inducta, & solvi debita parochi vel Episcopo ab Ecclesia illa, in qua quis relicta propriâ sepelitur, ex relicta eidem à parochiano defuncto, vel obvenientibus ratione funeris. Ex Barb. de offic. parochi c. 25. Bass. to. 2. v. parochia. num. 19. Rodrig. to. 1. qq. reg. q. 39. a. 1. & c. Porro qualiter hæc portio Canonica parochialis seu funeralis distinguatur à quartâ Canonica Episcopali, vide apud Azor. p. 2. l. 9. c. 12. q. 1.

2. Respondeo ad secundum: de jure ordinario est quarta pars obventionum istarum. c. cum super. & Clem. dudum. de sepult. de consuetudine tamen potest esse medietas, vel tertia pars. c. certificari. tit. ood. Tusc. lit. q. concl. 23. Ugol. de officio Episc. c. 17. num. 2. Lavor. vari. lucub. to. 1. tit. 2. c. 17. num. 4. apud Barb. loc. cit. num. 2. debet autem consuetudo hæc esse rationalis & legitime præscripta spatio 40. annorum, ut vi illius solvi debeat vel ultra dimidium, vel infra quartam partem; sufficit autem consuetudo non præscripta, sed 10. annorum, ut debeatur intra dimidiam & quartam partem. Barb. num. 2. ex Miran. in man. pral. to. 2. q. 48. a. 5. & Pet. de Ubald. de can. port. p. 2. c. 5. eò quòd consuetudo dandi ultra dimidium, & infra quartam partem sit contra jus, consuetudo verò dandi

P. Leuren. Fori Benef. Parisi

infra dimidiam, & citra quartam partem, sit tantum præter jus. Bass. loc. cit. citans Abbat. in c. certificari. num. 4. Trull. de jure paroch. c. 13. d. n. 1. num. 4. & c. Porro dum in Ecclesia parochiali non est consuetudo exigendi certam partem, debet servari ea, quæ est in Ecclesia, in qua sepelitur defunctus, seu cui legatur: si verò in hac est consuetudo talis, & alia in parochiali, servanda est consuetudo parochialis, utpote quæ præterdit titulum onerosum propter administrationem curæ, & Sacramentorum, Ecclesiâ istâ aliâ non præterdente nisi titulum lucrativum: ex his autem titulis concurrentibus potior sit conditio onerosi quam lucrativi. Si denique in neutra harum Ecclesiarum est certa consuetudo, est autem aliqua in aliis Ecclesiis ejusdem diocesis, hæc servanda, si uniformis; si difformis, ea servanda, quæ magis juri conformis. Barb. num. 3. ex Lavor. loc. cit. nu. 8. & Sebast. de Medices. de sep. q. 7.

Quæstio 455. Unde solvenda portio Canonica?

1. Respondeo: de omnibus, quæ Ecclesiæ, in qua quis relicta propriâ eligit sepeliri, ratione & occasione funeris seu sepulturæ obveniunt. Barb. loc. cit. n. 36. Covar. in c. ult. de testament. n. 7. Bass. loc. cit. 22. Azor. loc. cit. q. 2. & c. etiam præter voluntatem morientis. Feder. de Senis conf. 6. n. 2. apud Barb. n. 37. puta quæ tali occasione legantur illi Ecclesiæ (non autem personæ certæ illius) sive res sint mobiles, sive immobiles. Azor. loc. cit. citans c. in nostra. & Clem. dudum. de sepult. Quæ deferuntur seu portantur cum funere; quæ offeruntur tempore, quo funus seu exequia celebrantur. Barb. citans Molin. de just. rr. 2. d. 215. n. 4. sive obveniant, antequam corpus in terra condatur, sive post usque ad trigessimum diem. Barb. n. 37. Azor. cit. q. 13. Bass. nu. 22. Et quamdiu fit memoria funeris. Barb. & Bass. ll. cc. v. g. dum ex causâ pluribus diebus post tumulationem fiunt exequia magna cum pompâ. Leo in thes. fori Eccl. p. 2. c. 14. n. 12. Riccius in pr. fori Eccl. resol. 571. Sylv. in sum. v. Canon. port. apud Barb. n. 37. etiam dum parochi, jam die funeris data est candelarum, facum, similiumque quarta pars. Barb. n. 38. juxta respons. ut ait, Congregationis præpos. neg. Episc. hæc enim omnia dicuntur funeralia juxta c. cum liberum. de sepult. Barb. cit. nu. 37. citans Riccium ubi antè. Bertach. in repert. v. quarta portio & c. Bass. loc. cit. Azor. q. 13. quamvis ibid. dicat Azor, consuetudinem non esse, nisi ut quarta solvatur de his, quæ cum funere obveniunt, ut sunt candelæ, equi, arma, vestes, vel quæ offeruntur dum funus est in Ecclesia.

2. Porro in particulari primò: debetur quarta funeralis de candelis, & cereis oblati. Barb. nu. 4. ex Feder. de Senis; item ex iis, qui accensi afferuntur, & ponuntur circa crucem & cadaver Barb. ibid. ex Pet. de Ubald. c. 4. n. 10. Carraccia de quarta funerali c. 3. Nulla tamen debetur portio ex candelis, quas fratres Confraternitatum, aliique presbyteri in manibus portant, cum hæc remaneant deferentibus. Barb. num. 39. juxta declarationem benedicti XI. Piafec. in pr. p. 2. c. 3. Rodrig. & Carrac. ll. cit. contra Calder. conf. fin. de sep. Feder. de Senis, & Gl. in Clem. dudum. v. funeralibus. Uti nec de intortitiis, seu cereis confraternitatum sæcularium associantium funera. Item nec de intortitiis, quæ portantur à locis piis ad associandum funera pauperum. Barb. n. 40. juxta declarationem Congregat. præpos. neg. Episc. 5. Mart. 1616.

Q. 2

3. Se-



3. Secundò: ex iis, quæ legantur sive dantur pro legendis missis. Azor. *loc. cit.* q. 5. & 13. barb. num. 43. citans Gl. in *Clem. dudum. V. funeralibus. Sylv. in sum. V. Canonica portio. num. 9. Ubald. de Can. port. c. 4. n. 5. & seipsum de off. Ep. p. 3. alleg. 86. num. 20. contra Rodriq. cit. q. 32. num. 2. nisi forte is loquatur de consuetudine vel privilegio.*

4. Tertiò: de armis, libris, culcitra, pallio, pannis sericis &c. quæ in feretro deferuntur. Pet. de Ubald. *loc. cit.* num. 10. Oldr. *conf.* 21. apud barb. num. 44. juxta *c. in nostra. de sep.* nisi aliter sit ex consuetudine vel privilegio, ut declaravit Pius V. in *Constit. Etsi mendicantium*, apud Rodriq. *loc. cit.* q. 49. a. 2. uti etiam fallit in equis & armis, quæ relinquuntur in subsidium terræ sanctæ. Molin. *cit. d. 215. juxta c. in nostra.* apud Barb. *cit. n. 44.*

5. Quartò: debetur ex bonis relictis jure institutionis, ut si defunctus instituerit heredem Ecclesiam, in qua elegit sepulturam. Azor. *loc. cit.* q. 6. citans Abb. & Jo. And. in *c. 1. de sepult.* barb. num. 50. citans Molin. *d. 215. num. 4. Sylv. loc. cit. num. 10.*

6. Quintò: ex iis, quæ relinquuntur Ecclesiis donatione causâ mortis factâ, Azor. q. 7. aut in mortis articulo donantur. Azor. q. 13. §. *quid dicendum.* Item ex ea pecunia, quam dum regularibus talis Ecclesiæ nihil legatum est, frater aliquis ex illis datus executor ad eam pro libitu suo distribuendam distribuit inter dictos regulares. Item ex eo, si, qui decessit, nihil legavit iis, aliquid executoribus dandum iis mandavit, aut promittendum. Azor. q. 13. barb. num. 50. Sylv. num. 5. Gl. in *Clem. dudum. V. obventionibus.* Item ex iis, quæ defunctus mandavit dari singulis fratribus ad ipsorum commoda, puta ad emendos libros, vestes, aliâque hujusmodi; quia id censetur relictum monasterio, cum religiosus proprium quid habere nequeat, adeoque solum intelligitur relictum esse fratribus ad nudum eorum usum nutu superiorum revocabilem. Azor. q. 13. barb. *cit. c. 25. n. 48.* juxta Gl. in *Clem. dudum. V. indirectè.* Gemin. *conf.* 46. & Feder. de senis, docentes perinde esse sive donatum uai ex regularibus, sive toti Monasterio. Non tamen debetur ex iis, quæ Ecclesiæ talis recepit donatione inter vivos. barb. num. 48. Azor. q. 4. citans *c. de his. de legat.*

7. Sextò: ex omnibus legatis tali Ecclesiæ factis seu relictis in ultima voluntate. barb. n. 51. citans *c. 1. & 2. de sep.* Covar. *loc. cit.* n. 2. Sylv. *loc. cit. in fine.* Oldr. *conf.* 225. n. 18. Molin. *loc. cit. n. 4.* si tamen legatum relinquatur ratione loci, & non ratione personæ certæ talis loci, aut in fraudem. barb. *ibid.* juxta Sylv. num. 7. & Azor. debetur item ad huc ex legatis, quæ fiunt regularibus, etiam dum legator in eorum Ecclesiis non eligit sepeliri, dum id sit fraude & dolo, nimirum si defunctus alibi sepulturam elegit consilio illorum fratrum, aut prædicti fratres curaverint, ut legatum relinqueretur fororibus v. g. S. Clara, vel aliis amicis sperantes se ab illis talia legata habituros. Azor. *circa finem cit. q. 13.* secus est de legatis factis illis absque tali fraude juxta Innoc. Archid. Gl. apud eundem. Azor. *ibid.* Non tamen debetur ex legatis, quæ legator, dum vivit, solvit Ecclesiæ, tunc enim legatum transit in simplicem donationem inter vivos. Azor. *ibid.* juxta Gl. in *l. legatum. ff. de legatis.* quamvis dicat Abb. & Cardin. sentire contrarium apud Sylv. *cit. num. 9.* quin & circa finem dictæ q. 13. dicat juxta Paulum adhuc solvendam quar-

tam, etiam si legator talis postmodum in ista Ecclesia, in qua sepeliri elegerat, sepultus non fuerit, sentireque idem Cardin. nisi talis sepultus alibi ad tempus, transferendus postmodum ad Ecclesiam, in qua sepulturam elegerat. Neque ex legatis Ecclesiæ relictis ad perpetuum cultus divini obsequium v. g. ad fabricam Ecclesiæ, ad vasa & vestes sacras ad luminaria & cereos divinis usibus destinatos. Azor. q. 4. barb. *cit. c. 25. n. 50. & 52.* citans Covar. in *c. ult. de testam. num. 8.* Carrac. Bartol. &c. quamvis barb. *eodem num. 5.* ex Covar. dicat, quod ad fabricam id verum, si Ecclesiæ tunc egeat reparatione, secus si non egeat. Item Azor. *cit. q. 13. §. quid dicendum.* dicat, deberi adhuc quartam, si defunctus reliquit aliquid huic vel illi, ut curaret in Ecclesia istorum fratrum constituendam Capellam, vel emenda ornamenta, aut vasa ad divinum cultum.

*Questio 456. A quibus solvenda sit dicta portio parochialis?*

**R**espondeo: Non ab hæredibus defuncti, saltem jure ordinario (quamvis & hæredes teneri, sentiat barb. *loc. cit. num. 17.* citans Molin. *d. 215. n. 5.* Covar. &c. contra Carraciam) sed ab Ecclesia, in qua quis, relictâ propriâ, elegit sepeliri; sive ea sit secularium, sive regularium; sive abas exempta sit sive non (intellige à jurisdictione ordinarii) cum per hoc quod ad dictam quartam solvendam non sit exempta. Bass. *V. paroch. num. 21.* Porro in specie ad hoc tenentur jure communi etiam mendicantium Ecclesiæ. *Clem. dudum.* barb. *cit. c. 25. num. 4.* etiam Monialium; cum Trid. loquatur generaliter de quibuscuque locis piis ac Monasteriis, ubi dicta quarta solita esset persolvi. barb. *ibid. n. 5.* contra Azor. *cit. p. 2. l. 9. c. 13. q. 13.* qui putat Clementinam dudum, loquentem de fratribus utpote pœnalem restringendam, & non extendendam ad sororum seu monialium Ecclesias,

*Questio 457. Quenam Ecclesiæ ab hoc onere solvendi dictam quartam sint immunes?*

**R**espondeo primò: Ecclesias tam religiosorum quam secularium à solutione hujus quartæ exemptas per privilegia concessa ab habente potestatem. barb. n. 7. modò per istiusmodi privilegia specialiter derogatum fuerit *Clem. dudum.* barb. n. 8. Rota in *Granaten. quarta funeralium;* cum sit dispositio Conciliaris, adeoque locum habeat regula; quod non censetur derogatum constitutioni Concilii generalis, nisi fiat expressa mentio his aut æquipollentibus verbis: *Non obstante aliqua lege aut constitutione in Concilio generali edita.* Bass. *V. parochia. n. 23.* juxta *c. ex parte. de Capell. Monach.* (quamvis etiam per clausulas generales derogari eidem *Clem.* dum constat de voluntate principis derogare volentis, omnibus in contrarium non obstantibus dicat Pet. de Ubald. apud barb.) Ita tamen ut privilegia, in quibus etiam specialiter derogatum est dictæ *Clem.* concessa aliquibus non censentur quoad hoc comunicata aliis, etsi hi aliam comunicent cum istis in privilegiis; cum communicatio non extendatur ad ea, quæ aliis sunt præjudicialia. barb. n. 9. juxta decisionem Rota in *dicta Granat. & in Vallisoletanâ quarta funeralium. 19. April. 1606.* ubi etiâ quòd per privilegiû specialiter derogâ: dictæ *Clem.* in quo appo-



apposita clausula, *salva iustitia Ecclesiarum parochialium*: non censetur adhuc concessa ista exemptio à solutione quartæ funeralis. Quamvis barb. num. 10. cum Coccino contrarium credat verius, eò quòd stante specificâ derogatione dicta clausula intelligi debeat quòd ad alia, & non quòd ad expressa in isto privilegio, ne privilegium ferviret de vento, seu esset inutile. Non tamen procedunt istiusmodi privilegia, dum habentes ea ædificant monasterium aliquod, ad quod ædificandum habuerunt licentiam cum conditione, ut ædificarent sine præjudicio jurium Ecclesiarum parochialium; quia conditio hæc est valida, cum res ad suam naturam redeat. barb. num. 11. juxta Rotam in dicta Granat. 31. Maji. 1610. Atque ita hodie dum, ut ait Bass. cit. num. 22. parum in usu, & fermè in totum revocata per Pontificum privilegia dicta Clem. dudum. Ideòque dicendum, quòd nunc religiosi per sua privilegia non teneantur solvere quartam partem de funeralibus, oblationibus, sepulcris, legatis, ultimis voluntatibus, nec de aliis pro victu, ornamentis, aut aliis quomodolibet largitis; citatque Jo. de la Cruz de statu relig. l. 2. c. 9. du. 5. Rodriq. 99. reg. to. 1. q. 39. a. 2. Miran. to. 2. q. 48. a. 6. Tamb. de jure Abb. to. 1. d. 15. quæsto 17. Nec obstat Trid. sess. 25. c. 13. Cum plerisque religiosis posteriores Concilio Pontifices ista privilegia concesserint: sed & dictum Concilium aliud non statuit, quàm quòd regulares, aliique, qui 40. annis ante confirmationem hujus Concilii soliti erant solvere dictam quartam parochio vel Episcopo, etsi dein ex privilegio eandem quartam solverint aliis Monasteriis, aliisve locis piis, nunc, hoc est, etiam post Concilium teneantur denuo solvere eandem quartam parochio vel Episcopo, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis quibuscunque. barb. num. 2. quin potius ex hoc loco colligitur, ut barb. num. 13. quod censuit sacra Congregatio Trident. ad dictum locum apud Gallemart, non teneri ad solvendam dictam quartam eos, quorum Ecclesiæ ædificatæ citra seu post Tridentinum, ac modò ædificantur, seu ædificabuntur, modò accedat, quòd sint exempti à sede Apostolicâ à solvendâ dictâ quartâ. Ubi etiam inde colligi videtur de iis, qui à 40. annis ante Concilium consuetudinem non habuerunt solvendi dictam quartam, quòd eam solvere non teneantur, uti id ipsum in cit. Constit. declaravit Pius V. barb. num. 15. citans Carrac. Rodriq. &c. Et quidem absque eo, ut eadem Congregatio apud Gallemart, quòd talibus incumbat onus probandi, ante annos 40. non solitam à se solvi istam portionem; sed spectat ad prætendentes Episcopos vel parochos probare à 40. annis ab illis fuisse solitam solvi. Sed neque per unum, aut binos actus contrarios censendi sunt regulares renunciare juri quæsitio de non solvendo quartam, nisi talis solutio facta ab iis sit per spatium 40. annorum, juxta dispositionem juris in c. accedentibus. & c. si de terra. de privilegio. cum privilegium ad non faciendum non perditur uno aut binò actu. c. cum accessissent. de constit. ubi Gl. barb. cit. c. 25. num. 35. Imò etiam si per dictum spatium quadraginta annorum soluta sit quarta, adhuc præsumptio non tenet, quia contra bona & jura regularium non nisi

P. Leuren. Forâ Benef. Tomi I.

centenaria currit præscriptio ad instar Ecclesiæ Romana. barb. citans Miran. cit. q. 48. a. 13. Portell. v. Canonica portio. 8.

2. Secundò: ea personæ, seu Ecclesiæ, quæ præscripserunt dictam portionem Canonicam: hæc enim non solum in parte, sed etiam in totum potest consuetudine vel præscriptione præscribi. Sufficit autem ad hoc consuetudo quadraginta annorum cum titulo, & sine titulo requiritur immemorialis. Azor. loc. cit. quæst. 3. Bass. loc. cit. num. 20. barb. num. 16. citans Molin. d. 215. num. 7. Sylv. in sum. v. Canonica portio. num. 2. & 3.

3. Tertio: Ecclesiæ, quam quis elegit, dum in ea sepelitur contra voluntatem eorum, quorum est Ecclesiæ ista v. g. si sepeliatur in Ecclesiæ mendicantium tempore interdicti, eò quòd portio Canonica debeatur ratione injuriæ factæ parochiali; injuria autem ei non fiat, dum Ecclesiæ alia accipit bona ab his, qui sepeliuntur in ea contra voluntatem eorum, quorum est Ecclesiæ. Azor. loc. cit. c. 9. q. 4. §. quintus casus.

4. Quarto: Ecclesiæ, in qua quis elegit, & sepultus est, quando Ecclesiæ parochialis suâ, & non defuncti culpâ erat interdicta; secus si ea nullam causam interdicti dedit; cum tunc privanda non sit jure suo. Azor. ibidem. §. sextus casus. citans Gemin. in c. 1. de sepult. in 6. Idem ait barb. cit. c. 25. num. 31. dum defunctus jam antè elegerat sepulturam, priusquam parochialis esset interdicta; cum sequens interdictum non videatur tollere quartam parochialem jam debentem.

5. Quintò: Ecclesiæ, in qua quis quidem sepulturam elegit, in ea tamen sepultus non est, v. g. quia alibi decessit, vel hæredes eum alibi sepeliunt; cum verba illa intelligenda sint cum effectu juxta l. 1. ff. ut quisque juraverit. Azor. ibidem. §. Octavus casus. citans Feder. de Senis, & Pet. Perusin. contra Gemin. in c. 1. de sepult. in 6. sentientem, quòd sicut in eo casu talis Ecclesiæ non privatur legatis causâ sepulturæ factis, ita nec parochialis portio Canonica.

6. Sextò: Ecclesiæ, in qua quis elegerat sepeliri, dum tamen revocatâ hac electione elegit aliam, aut etiam in alia sine electione sepultura, sepelitur; cum paria sint non eligere, & electionem mutare, juxta l. 1. & 2. ff. de ademptione legati. Azor. ibidem. §. septimus casus. in quo casu etiam revocari legatum destinatum illi primæ Ecclesiæ, & deberi secundæ; cum subrogatum intelligatur subrogatum cum omnibus conditionibus, oneribus, honoribus, emolumentis, l. 1. ff. si quis test. liber esse jussit &c. sentit Gemin. loc. cit. apud Azor.

7. Septimò: juxta eundem Azor. ibidem. §. decimus casus. ubi pro hoc citat Gl. in c. relaxatum. de sepult. Ecclesiæ, in qua quis non elegit sepeliri tempore, quo testamentum fecit, & legatum reliquit, sed postea adhuc ante mortem.

8. Octavò: Ecclesiæ, quam quis elegit in sepulturam; quia in ea solitus audire divina, & percipere Sacramenta; dum ea percipere non poterat in parochiali ob longam absentiam; cum quarta parochialis debeatur ob Sacramenta;

Q

mentis;



mentorū, & divinorum administrationem quasi in laborum compensationem juxta *Clem. dudum*; cessante autem causā cesset effectus. Azor. *cit. q. 4. §. undecimus casus*.

9. Nonō : Ecclesia monasterii, quod quis ingressus animo absolute vitam mutandi ibidem moritur; secus est, & debetur quarta parochialis, si ingressus sine tali voluntate absoluta ibi moritur. Azor. *ibidem. §. tertius casus*, citans Archidiacon. & Gemin. *in c. cum quis, de sepult.* Multo magis id tenet, si talis decesserit in monasterio, dum esset Novitius; cum talis revera mutaverit domicilium. Azor. *ibidem. §. quid si*, citans Goffred. Hofst. Abb. Et si contrarium teneant Angel. Rosell. Innoc. Et hic generaliter dicitur; si quis ingreditur monasterium, ut ibi fiat professus, ex bonis ejus monasterio acquisitis deberi quartam parochialem. Abb. etiam *ibidem* id admittat de eo, qui ager ingressus fuit, & ex eo morbo decessit; secus si non ex eo morbo, sed alio decessit: quod idem ait Sylv. de leproso, qui in leproso domo hospitalem domum recipitur, si ex lepra decesserit; non verò si cum lepra ex alio morbo decesserit.

10. Decimò : Ecclesia talis delecta pro sepultura, dum legatum est Ecclesie parochiali tantundem, quanta est pars quarta legatorum Ecclesie, in qua elegit sepeliri. pro hac sententia Barb. *num. 18.* citat Gregor. Lopez, Rodriq. *cit. q. 39. a. 6.* Abb. *in c. officii, de testamen.* Miran. *to. 2. q. 48. a. 11. concl. 2.* Hieron. Rodriq. *in comp. qq. reg. resol. 18. num. 8.* Portell. *in dubiis reg. V. Canonica portio. nu. 7.* eandem tenet Azor. *cit. q. 4. §. nonus casus*, censentque hi Auctores tale legatum jure imputari in quartam Canonicam: Et etiam si ea minus est, tunc enim debere compleri, ait Azor & plures ex citatis Auctoribus: quemadmodum filius computat sibi in legitimam portionem, quicquid à patre sibi relictum. *l. si quando & omnino. c. de inoffic. testamen.* Et si institutus est in parte minore, quam est legitima ei debita, jure petit, ut suppleatur. Nihilominus sententiam contrariam, nimirum præter legatum tale debere adhuc solvi integram portionem Canonicam parochiali (saltem in eo casu, ubi tale legatum factum non fuit eadem conditione, ut Ecclesia parochialis sit contenta hujusmodi legato loco portionis Canonice sibi debite, & rector id acceptaverit, in quo casu, & non aliter priorem sententiam admittunt Jo. And. *in c. officii* Jo. Lignan, Rayner, Goffr. Feder. de Senis apud Azor, ) refert Barb. *cit. num. 18.* citatque pro ea Gl. Cardin. Covar. ipseque in eam inclinat plures adducendo textus, & rationes, & inter ceteras, quod testator ipse Ecclesie parochiali non debet dictam portionem, sed Ecclesia electa in sepulturam, adeoque hic compensare non possit, quod debet tertius, nempe dicta Ecclesia electa.

*Questio 458. Cui Ecclesie debeatur Canonica portio?*

**R**espondeo : Ecclesie, in qua quis audire divina, & Sacramenta percipere consuevit, & jure debuit, hoc est, parochiali. *c. cum quis, de sepult. in 6.* Azor. *cit. c. 13. q. 8.* live de jure ( Cathedrali enim Ecclesie debetur non nisi ex præscriptione, vel quod ea illam sibi reservavit, quando parochiales erectæ fuerunt, in signum superioritatis, & tunc inter Clericos illius Eccle-

siæ dividenda, curā non residente penes certam personam. Barb. *cit. c. 25. num. 22.* citans Roram & Riccium) debetur parochialium rectoribus. *Clem. dudum. Ugol. de offic. Episc. c. 17. num. 11.* Barb. *num. 20.* in compensam nimirum laborum, quos subit parochus celebrando divina, & ministrando Sacramenta. Bass. *v. parochia. num. 21.* citans Gl. *in cit. c. cum quis.* Unde & parochus dictam quartam Canonicam petere potest tanquam debitum & mercedem laboris quasi actione locati, ut Feder. de Senis *conf. 3. num. 9.* apud Barb. *num. 32.* vel conditione ex Canone, vel actione ex testamento, ut Pet. de Ubald. *c. 3. num. 2.* apud eundem. Et ubi nullus rector adesset, debetur Vicario perpetuo vel temporali, vel etiam sacerdoti conducto habenti curam parochianorum juxta Barb. *num. 21.* ubi pro hoc citat Riccium *in pr. p. 2. resol. 299. num. 4.* & *c. reliquisi, de testam.* Quinimo etiam dum non constat ex consuetudine vel alia ratione, cui debeat, Episcopo, an parochi, præfertur parochus; quia habet magis specialem curam; Episcopus tantum generalem, debetur parochi ex causa onerosa, Episcopo non nisi ex causa lucrativa. Barb. *num. 25.* citans *c. 1. de sepult.* & Per. de Ubald. *de quarta Canonica p. 2. c. 8. num. 14.* Et si presbyter parochialis negligenter se gesserit in petenda quarta parochiali, jus habet Episcopus eam exigendi pro Ecclesia parochiali. Azor. *loc. cit. q. 10.* citans Hostiens. *in c. ult. de success. ab intest.*

2. Hinc primò, si is, qui extra parochialem elegit sepeliri, decesserit extra locum domicilii sui cum animo redeundi ad illud commoratus alibi negotii vel recreationis causâ, adhuc debetur quarta Canonica parochiæ, in qua habet domicilium. Barb. *num. 26.* Rodriq. *qq. reg. to. 3. q. 46. a. 3.* Miran. *to. 2. q. 48. a. 9. concl. 2.* Bass. *loc. cit.* Idem est, dum infirmus ad aliam parochiam se deferri jubet, in qua decedit; quia debetur adhuc prima isti parochiali quarta Canonica. Barb. *n. 27.* citans Sylv. *n. 15.*

3. Secundò : dum domicilium extra parochiam transferens moritur, antequam novum acquisivit, debetur adhuc parochiali isti quarta Canonica juxta Archidiacon. *in c. 1. de sepult. in 6.* Rayner, Goffr. & c. apud Azor. *cit. q. 8.* eò quòd in ea sepeliri deberet, si non elegisset alibi sepeliri, aut si intestatus decessisset.

4. Tertiò : dum quis dimisit Ecclesiam tam parochialem, quam eam, in qua majores illius sepeliri consueverant, elegit aliam, quarta funeralis debetur dimissa parochiali domicilii, non verò illi dimissa, in qua habebat sepulchrum suorum majorum. Azor. *cit. q. 8.* Barb. *num. 29.* Miran. *loc. cit. concl. 2.*

4. Quartò : si quis jam infirmus transferat se ad monasterium, ibique habitu non assumpto, ex eadem infirmitate decesserit, & ibi sepulturam elegerit, solvenda est quarta parochiali: scilicet si sanus intravit, ibique intra annum Novitiatu decessit. Barb. Miran. Bass. *ll. cit.* nisi forte ingressus animo exeundi. Zech. *de rep. Eccles. c. 28. num. 18.* apud Barb.

6. Quintò : dum quis æqualiter habet domicilium in diversis parochiis, ut habere potest juxta *c. dilectus, de rescript.* & extra utramque sepeliri elegerit, quarta debetur illi parochiæ, in qua decessit; quia in hac tunc erat sepeliendus, si sepulturam non elegerit. Bass. *l. cit. n. 21.* contra Sylv. & A-



207. cit. q. 8. censeñtes tunc dividendam quartam funeralem inter duas illas parochias; qui idem censeñt, dum quis habet unum domicilium in confinio duarum parochiarum, vel duas domos conjunctas in confinibus duarum parochiarum. Dum verò in unâ parochiâ solitus fuit audire divina, in alterâ percipere sacramenta, quartam integre deberi Ecclesiæ, in qua recepit sacramenta, cum propriè parochialis sit, in qua quis solitus recipere sacramenta, sentiunt Bass. cit. n. 21. Sylv. de Canon. port. n. 14. &c. citantes pro se c. 1. de sepult. c. cum quis. eod. tit. in 6. contra Innoc. Joan. Andr. in c. de his. de sepult. Archid. in c. cum quis. apud Azor. l. cit. q. 9. putantes & tunc quartam dividendam inter utramque Ecclesiam. Quòd si etiam jam infirmus in una parochia, præcipiat, ut ad alteram parochiam deferatur, & ibi decedat, primâ parochiali deberi quartam, quia in ea morbum contraxit, ex quo etiam decessit, sentit Azor. l. cit. q. 12. citans Sylv. q. 19. Rayner. & Hostienf.

7. Sextò: dum quis sepulturam elegit in propria parochiali, nihilque ei legat, dum tamen multa legat aliis Ecclesiis, Ecclesia illa propria, non quidem jure actionis, sed implorato superioris officio, ubi consuetudine id receptum est, ut qui elegit sepulturam in propria Ecclesia, ei certum aliquod relinquat, poterit id petere ab hæredibus defuncti; ubi verò hæc consuetudo non est, nihil petere potest, sed funeralibus tantum contenta esse debet juxta Rayner, Sylv. apud Azor. q. 11.

8. Septimò: adhuc debetur parochiali quarta funeralis, dum quis nullam elegit sepulturam, sed ad parochialem deferendus erat, alibi tamen citra culpam parochi sepelitur. Barbos. cit. c. 25. num. 31. Amitteret tamen in hoc casu quartam, si culpâ, vel negligentia parochi defunctus ad aliam Ecclesiam delatus est, & sepultus; Non enim pro sepultura tantum instituta est hæc quarta portio, sed pro onere etiam, quod incumbit curatis ministrandi non solum subditis, quæ ad salutem pertinent; sed & procurandi, ne debitis & necessariis beneficiis fraudentur. Barb. ibid. juxta c. 1. de his. de sepult.

9. Denique renunciatio portioñis Canonice facta in damnum parochialis invalida est; nisi fiat cum protestatione, quòd per hoc non fiat præjudicium juri Ecclesiæ. Barb. nu. 34. Compositiones tamen & pacta super juribus parochialibus facta inter Prælatos, Conventuales & parochos esse valida, etiam si celebrata sint sine licentia superiorum, Provincialium nimirum, vel Generalium, modò licita sint, & honesta, & fiant cum consensu Conventus, nec irritentur per subsequens Capitulum generale, vel provinciale, ibidem ait Barb. ex decreto Leonis X. in Concil. Lateran. Verumque id esse, etiam si dictæ Conventiones repugnent. Clem. dudum. eò quòd per illam revocentur factæ ante illam, non verò faciendæ de novo; quin & licet ibidem etiam Conventiones futuræ invalidarentur, adhuc vi decreti Leonis X. utpote posterioris dictæ Clement. valere, citatque pro hoc Portell. V. Canonica portio. c. 9. 10. Hieron. Rodriq. in comp. qq. reg. resol. 18. nu. 9. occasione hujus postremi

Questio 459. An in concordia super emolumentis funeralibus, aliisque juribus parochialibus inter Capitulum & Vicarium, seu alium ad exercitium curæ deputatum, aliisque

ejusdem Ecclesiæ Clericos, vel etiam inter diversas Ecclesias requirantur solemnitates aliæ in concordia super bonis & juribus Ecclesiæ requiri solitæ?

1. **R**espondeo: ejusmodi transactiones, dum sunt inter duas Ecclesias (vel uti videtur ad summum etiam inter Ecclesiæ ejusdem duas Capellas vel beneficia, de quibus dici solet; non debet discooperiri unum altare, ut alterum cooperiatur) adeò ut agatur de privando unam aliquò jure in toto, vel in parte, ut istud alteri acquiratur; tales inquam concordia ut validæ, perpetuæ, & successorum obligatoria sint, subintrat Extravag. Ambrosia. de rebus Ecclesiæ non alien. adeoque requiritur beneplacitum Apostolicum (utpote non solum comprehendens transactiones super bonis stabilibus, sed etiam super juribus in corporalibus; ac etiam jurisdictionibus, & præminentis, ut receptum in Rota, & Curia Romanâ apud Card. de Luc. de paroch. d. 26. n. 5.) Idem Card. ibid. num. 6.

2. Contrarium est, si ve non intrat dispositio dictæ Extravag. Ambrosia. sed cum sola auctoritate Ordinarii transigi potest licitè & validè juxta c. 1. & fin. de pænis in 6. utpote quorum jurium dispositio alterata non est per dictam Extravag. juxta decisionem. Rota 402. n. 1. p. 5. recent. ubi jus habituale Ecclesiæ integrum ac saluum remanet, nullamque patitur scissuram; sed oritur discordia solum inter ejusdem Ecclesiæ servientes ac ministros super fructione ac distributione ac pertinentia emolumentorum, aliorumque jurium, ita tamen ut ipsi Ecclesiæ præjudicium non resulter circa servitium & cultum; dum nimirum adjudicandò majora emolumenta aliquibus, alii servitium deferrent, vel negligerent, sed immutato cultu & servitio componantur controversiæ super emolumentorum repartitione; quoniam tunc Ecclesia remanet integre Domina, & possedetrix; neque ejus principaliter interfit, an uno vel alio modo ministri ejus emolumenta dividant. Idem Card. ibid. Porro ex pacifica longâ observantia 10. annorum resultat præsumptio utriusque requisiti; nimirum quòd dum Episcopi ipsius non accessit auctoritas, sed Vicarii Generalis Episcopus dedisset Vicario suo hanc facultatem; vel quòd accessit ejus rati habitio, quæ mandato æquiparatur, ejusque vim habet; & quòd id gestum fuerit à Vicario cognita causa. C. Luc. ibid. n. 8. dum enim non adest residentia juris (uti ea hic adest, si intraret prohibitio Extravag. ambit.) in hac materiâ inducendi præsumptionem ex lapsu temporis juncti cum observantia, non requiritur tempus longissimum, sed sufficit longum. de Luc. ibid. n. 9. citans Menoch. l. 3. præsump. 131. & seq. Gabriel. de præscript. concl. 1. & c. quibus addendum, quòd idem Card. ait d. 26. n. 4. nimis favorabilem in jure transactionem, præsertim ubi effectum sortita est per aliquod tempus; ideò que non facile admitti ejus annullationem, & rescissionem; cum etiam præceptum testatorum de non transigendo sperni valeat.

\* \* \* \* \*

Q 4

PARA-